



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Archiepiscopo Remen. sanctae Sabinae Cardin. & Episcopo Atrebaten.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

^{*Leg. ci. dñeque} surus super quæstione premissa, & judi-
cium recepturus, *eisdem judicibus per-
latores præsentium significare non diffe-
ras qualiter à te juxta mandatum no-
strum fuerit ipsi Decano injunctum ut ad
eorum præsentiam, ut prælibatum est,
accedere non differat. Darum Romæ
apud S. Petrum X. Kal. Iulij.

*ARCHIEPISCOPO REMEN.
sancta Sabine Cardin. & Episcopo
Atrebaten.*

^{Epi. 189.}
<sup>De codem ar-
gumento.</sup>

EX parte dilect. fil. Canonitorum Ecclesiae S. Quintini Viromanden. fuit in audiencia nostra querela proposita quod Decanus ejusdem Ecclesiae, cùm potius teneatur discordantes ad concordiam revocare, inter eos concitare seminarium dissensionis, ipsos etiam contra ecclesiasticam honestatem super enormibus criminibus publicè infamare, & adversus eos provocare laicos minimè dubitavit, in remissionem peccatorum eis injungens ut in ipsos Canonicos irruerent, & funes campanarum, quas pro Capitulo congregando pulsabant, de manibus eorum auferrent; eisdem promittens quod si quid detrimenti super hoc eis accideret, ipse perpetratæ rei vellet auctor haberi. Præterea cùm se servaturum jura & consuetudines Ecclesiae sancti Quintini & Canonicis quandam pensionem necnon & procurationem in octavis Paschæ annuatim juraverit impensurum, contra suum veniens juramentum, statum capellarum & capellanorum & *ruariorum, Capitulo contradicente, in eorum & Ecclesie suæ grave præjudicium nixus est immutare, & prædictas pensionem & procurationem, similiter juramenti religioné neglecta, ipsis Canonicis renuit exhibere. Cumque super his eum ad sedem apostolicam appellaverint, ipse terminum appellationis abbrevians, eis ad prosequendam appellationem festum sanctorum Philippi & Iacobi proximò præteritum assignavit. Sed nec ipse nec aliquis coram nobis pro eo comparuit responsalis. Quia verò propter temporis intemperiem non decuit nos magistrum W. & T. Canonicos Ecclesiae supradictæ, ad nostram præsentiam accedentes, diutius detinere, volentes utrisque, sicut justum est, providere, per apostolica vobis scripta mandamus quatenus ascita vobiscum ecclesiastica persona & suspe-

^{*f. Vicariorum}

ctione carente, de Remen. provincia, quam dictus Decanus pro parte sua duixerit in judicem eligendam, pariter cum ea super his quæ hinc inde proposita fuerint, inquiratis diligentius veritatem, & quod justum fuerit, appellatione postpolita statuatis, & faciatis quod decreveritis per censuram ecclesiasticam à partibus firmiter observari. Si verò prædictus Decanus eligere judicem & juri parere noluerit, vos nihilominus, quantum de jure poteritis, in negocio procedatis. Nullis obstan. harum mentione non habita &c. Quod si vos ambo simul cum tertio his exequendis &c. tu, frater Episcope, cum eorum altero &c. Datum ut suprā.

*SIFFREDO AVGUSTEN.
Præposito.*

EX ore sedentis in throno procedebat gladius bis acutus. Hic est gladius Salomonis, qui secat utrinque, redens unicuique quod suum est. Nos ergo, qui, licet immeriti, locum veri Salomonis divina dignatione tenemus, gladium istum tunc prudenter exerimus, cùm quæstiones in auditorio nostro legitime ventilatas mediante justitia diffinimus. Ad hoc enim emergentium quæstionum perplexitas & difficiles nodi causarum ad sedem apostolicam referuntur, ut cùm earum merita fuerint assertione partium patefacta, prodeat ab apostolica sede sententia, deducens in certitudinem dubia, & obscura producens in lucem; ut litigantium dissensio ne sopita, suum iustitia tueatur & sequatur auctorem. Inde siquidem fuit quod accendentibus ad præsentiam nostram te ac dilecto filio nostro B. Augusten. Canonicō pro quæstione quæ inter vos super Præpositura Augusten. Ecclesia vertebatur, nos venerabilem fratrem nostrum Octa. Hostien. Episcopum & dilectum filium Grat. sanctorum Cosmae & Damiani Diaconum Card. vobis concessimus auditores. In quorum præsentia fuit ex prædicti B. parte propositum quod cùm dilectus filius E. de Augusten. Præposito fuisset in Episcopum Brixien. electus, rogavit Capitulum Augusten. ne aliquem sibi prius eligerent in Præpositum, quam ejus esset electio confirmata. Cumque ipsis ejus precibus annuiscent, & idem electus, electionis confirmatione per suum Metropolitanum obtentus,

^{Epi. 190.}
<sup>Quod vanis de
caulis electione
nem suam con-
firmeret.</sup>